



1. Musaei Joh. I diff. in Epist. ad
Romanos Cap. IX. v. 19 - 23.
jane 1652.

2. — diff. de vera presentia
corporis Christi in S. Coena.
jane 1652.

3. — diff. II. De natura et
definitione Ecclesie.
jane 1655.

4. — diff. de resurrectione
Christi a mortuis, jane 1653

5. Musaei Petri diff. de Baptis-
mo, H. Elmer. 1664.

6. Musaei f. Joh. diff. de conuersione
Honoris ad Deum, jude 1649.
7. Mylij f. Georgij / positiones de
Substantia peccati, jude
8. ————— diff. ex Guest ad Roma,
nor, jude 1590.
9. ————— diff. Carolstadiis redier,
vns, Wittenb. 1597.
10. Olearij f. Joh. / diff. de usu pris
philosophie Halle 1601.
11. Guatheri f. Oweni / programma
ex quo initia Certaminis
in Academia Julia conficiuntur.
Maydeb. 1600.
12. ————— theologiae et
philosophiae mutua amicitia.
13. Religi f. Christoph. / diff. de
processione spiritus. S. a
patre et filio, Francof.
1592.


- 14 Larisse f. demetri f. diff. de
processione spiritus s. a
Deo patre et filio
- 15 pelagari f. ~~litteris~~ ^{scriptis} diff. de
operibus Dei granof
1548.
- 16 — articuli de
persona Christi granof
1548.
- 17 Quenstedt f. Joh. Andrei f. diff.
de vulneribus Christi
Wittenbergie 1563.
- 18 Runzij f. Dav. f. diff. ^{per} XVIII ex
Epistola pauli ad Romanos;
Wittenbergie 1547.
- 19 — ^{diff. per} II. ex Epistolas
I. II. pauli ad Corinthus; 1547.
- 20 — diff. ex Exodo xx,
ne facies tibi sculptile,
Wittenb. 1547.

21. Runzij / Dav. / diff. de eterna
gloritate Iesu Christi, Wittcb. 1598
22. ————— diff. de ascensione
Christi in Caelum, Wittcb. 1598
23. Schaffij / Jok. / diff. de salvatore
mundi Iesu Christo, Wittcb. 1630.
24. ————— tria questionum
theologiarum, ~~et propter ducentae~~
~~miscellaearum,~~
Wittcb. 1644.
25. ————— diff. de iustificatione
peccatoris, Wittcb. 1649.
26. Schraderi / Christoph. / diff.
de gratia per fidem iusti-
ficatione, Helmsth. 1619.
27. Myly / Georgij / Sympsi-
abri Lutheri contra Celester
prophetas, jude 1689.
28. ————— diff. II de Misericordia
humilitate, jude 1589



- 29 Schlüter f. Gottfr. de Capistran
hominis et peccato, Magdeb.
30 Schneppfij f. theod. ¹⁶⁰¹ diff. de
poenitentia, tubingia 1580
31 ————— diff. de dicto whaa-
ni: Lex pro mosen data est p.
tubingia 1580
32. Strubij f. Henr. ¹⁵⁷⁵ diff. de
Baptismo, Helmst. 1579
33 ————— diff. de libero
et serva arbitrio hominis
Helmst. 1623.
34 ————— diff. in Catechis-
num B. Lutheri, Helmst.
35 ————— diff. de Inconstitudine
fidei Christiana. Helmst.
1615.





87.

POSITIONES
CONTRA FV-
ROREM MANICHÆ-
VM DE SUBSTAN-
TIA PECCATI

De quibus

Diuina iuuante clementia

Sub presidio

GEORGII MYLIID.
ET PROFESSORIS
THEOLOGI

Disputabitur

Ad 23. Iunij, hora & loco consuetis
Anno M. D. XCII.

Respondente

M. ALBERTO VOLCMARO
LOBENSTEINENS. I.



JEN AE Typis Tobiae Steinmanni.

Positio I.

INTER HORRENDA opinionum monstra, quibus afflictissimum hoc Ecclesiæ senium, Christiani generis hostis exercuit, detestandus cumprimis est plusquam Manichæus ille furor, quem ab autore Flaccianismum appellatum, tuentes aliqui, Peccatum originis substantiam esse dictitant, & eam quidem non vulgarem: sed humanam, cum præstantissima hominis corrupti parte, anima nempè rationali, & præsertim nobilissimis eius potentiis, intellectu nimirum & voluntate, vnam & eandem.

II.

Contrariam huic, & quæ cum negatione coniuncta est, tententiam, dictant S. literarum monumenta, euincit vniuersa veræ fidei, & rectæ rationis analogia atque certitudo: probant denique omnium cùm veterum, tum recentium Theologorum de religione rectè sentientium iudicia.

III.

Attestatur hoc Moses, historiam creationis hoc elogio concludens: vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Repetit verba eadem sub ratione magis καθόλες Ecclesiasticus: Opera Domini vniuersa, bona valde. Ex quibus dictis in hunc modum ratiocinamur:

Gen. 1. 31.
Eccl. 39. 1. 1.

Si substantia est peccatum, aut creata sit oportet, aut increata.

Non autem hoc est. Sit igitur creata necessum est.

A. 2

Iam

Iam verò porrò
Omnis à Deo creata substantia, bona est. 1. Tim. 4.4.
Peccatum originis non est bonum. Igitur.

IV.

Excipient isti, Atenim ne nos quidem istud dicimus. Fatae enim à Deo creatam hanc peccati substantiam nullo modo esse: sed à Diabolo. Esto verò dicant istud. At malè istuc eos dicere, firma probatizone euincitur.

V.

Probatio autem talis est:
Substantia creata nulla est, quæ sit, nisi à solo Deo condita.

Ἐγένετο est hæc enunciatio Ioan. 1.3. Omnia per Christum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Hebr. 3.4. Qui omnia creauit, Deus est, Eccl. 18.1. Qui viuit in æternum, creauit omnia pariter.

Peccatum (secundum istos) est substantia. Ergò
Rursus

Quicquid à Deo conditum non est, non est substantia.

Peccatum non est à Deo conditum. Ergò.

Vtrum ergò libet, eligant: & aut(quod non possunt) Deum peccati esse conditorem afferant: aut(quod nolunt) peccatum esse substantiam, dicere desinant: Tertium non inuenient.

VI.

Videri autem queat elogium illud Mosaicum, maximè quoad hominem, cumentu eo esse antiquatum, qui lapsis postmodum protoplastis contigit. Lapsum enim hominem, & à Deo conditore auersum improbè, bonum nemo dixerit. Si non bonum, quî nam creaturam Dei, quam cogitare nisi bonam, nefas est?

Dispa-



VII.

Disparata ista sunt, Malum siue peccatorem, &, creaturem Dei esse: non pugnantia: Ex uno igitur & eodem subiecto sese inuicem non excludunt. Quod ut verum esse constet, vnum queritur, An in ipso etiam lapsu, Adam, in ipsa apostasia Lucifer, creatura Dei esse desierit? Nemo opinor, dixerit. Certè cum o-
mnis caro corrupisset viam suam, super terram, videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, De-
lebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ.
Poenitet enim me, fecisse eos. Israclitico populo, Deut. 32. 6.
quem generationem prauam atque peruersam Moses nuncupat, idem tamen dicit, Deus est, qui & possedit te, & fecit, & creauit te.

VIII.

In lapso ergo & peccatore homine duo conside-
randa veniunt. 1. Substantia ipsa hominis, quæ Des-
um creatorem habet. 2. Peccatum & malitia, quæ ab autore Diabolo profecta, homini creato accidit.
Istinc, ut homo sit, habet: hinc ut malus & peccator ap-
pelletur, euenit: quæ duo quamuis ita iam coierint,
ut re ipsa separabilia, nisi in resurrectione iustorum nun-
quam futura sint: sic tamen distinguenda sunt, ut cum
creatura Dei, Diaboli opus nunquam confundatur.

IX.

Obseruat hoc discrimen cautissimè Scriptura ipsa, Sap. 2. 13.
Deus, inquiens, creauit hominem immortalem: Inuidia
autem Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.
Rectè igitur ex Mosis elogio colligitur, Peccatum mi-
nimè esse substantiam: minime autem minus hominis
ipsius, quantumuis corrupti, nobilissimam partem
aut essentiam.

X.

Genes. 6. 5.

Confirmat negativam nostram alterum etiam Moses testimonium: Vedit Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis prona esset ad malum omni tempore. Non vitæ tantum actæ conscelerationem perstringit Moses in primituo mundo hisce verbis: sed fontem etiam & scaturiginem tantæ luis notat, labem corruptionis originalem. Neque verò homines malitiam aut peccatum ipsum fuisse: sed multam hominum fuisse malitiam asserit: Insuper cogitationes à corde ipso: pronitatem ad malum ab homine ipso accuratissimè discernit. Hinc ergo sic argumentamur.

Quod alterius est, vel in altero inest, non est alterum ipsum.

Cogitationes malæ sunt in altero, corde nimirum. Ergo non sunt ipsum cor, substantia intellectus aut voluntatis ipsa.

Item. Concretum cum abstracto essentialiter nunquam idem est. Cogitationem cordis pronam esse ad malum, hominem ipsum esse malum, aut multam eius esse malitiam meræ sunt concretorum notæ. Cum abstracto ergò peccati & corruptionis essentialiter idem esse nequeunt.

XI.

Psal. 51. 7.

Psaltes mali originalis fontem in seipso considerans, in iniuitatibus se conceptum, & in peccatis à matre in lucem istam editum esse profitetur, his dictis, ut conceptum ab iniuitate, matrem à peccato: sic solum ipsam ab utroque ingeniose distinguens. Hac enīgo distinctione, sequentis argumenti arietem nobis suppeditat.

Quām non conceptio est ipsa iniuitas, aut mater conci-

concipiens peccatum ipsum , in quo concipit, tam non
est siboles peccatum id , in quo ipsa concipit.

Vtrumque prius nullo modo est , foret enim con-
ceptus non in peccato , sed in conceptu ; & non mater
sed peccatum in peccato conciperet. Ergo similiter ha-
bet & posterius.

XII.

Seruator noster optimus , De corde exire mala & Matth. 19.
peccata , & his ipsis coinquinari hominem , grauissime 19.
docet. Quo loco quamuis ipsi sermo præcipue est, de
actualibus peccatis : generali tamen nota cor ipsum &
peccatum, hominem ipsum & coinquinationem disser-
nit , & in hunc modum argumentandi materiam nobis
præbet :

Si Species sub eodem genere positæ , sub diuersis
generibus comprehendendi neutiquam possunt : conse-
quens est , ut peccatis actualibus, à classe substantiarum
remotis maximè à substantia cordis & essentia homi-
nis distinctis , peccati originalis ratio diuersa esse ne-
queat.

Antecedens verum est. Efficitur ergo verum esse
& consequens.

Foret autem ἐτερογένεια quædam , si actualibus pec-
catis in accidentium numero positis , Originale pecca-
tum in classe substantiarum collocaretur.

XIII.

In medio Areopagi consistens Apostolus inter ciues Act. 17.28.
Athenienses, inquit, In Deo viuimus , mouemur & su-
mus , Vitam , motum , essentiam omnium hominum
etiam non renatorum ad Deum autorem conseruato-
remque referens. Vi ergo huius axiomatici dicti sic
concludimus.

Contra

Prosper
Nulla igitur
vitijs sub-
stantia, nul-
laq; vita est, non est, nisi ex Diabolo

Contradictoria locum simul habere non possunt.
Hominis vitam, motum, essentiam, ex Deo esse:
eademque ex Diabolo esse, sunt contradictoria. Ergo
Et verè dicuntur hæc ex Diabolo esse, & esse inten-
duntur, quoties substantia hominis, peccatum (quod
esse affirmatur.

XIV.

Rom. 7. 17. & v. 21. Apostolus idem ad Romanos, Peccati huius con-
ditionem & naturam, ex professo describens, vocat id
inhabitans peccatum & peccatum, quod infit: Insu-
per idem appellat Malum adiacens. Quibus illud eti-
am succenturiatur, quod Rom. 5. 12. Non in mundo
subsistens: sed ad mundum ingressum peccatum nun-
cupatur. In his solis locis, si reliquarum scripturarum
nullum in promptu esset subsidium, pedem nos firmiter
tanquam in arce belli figentes, sic argutamur:

Cuiuscunque rei esse non est, nisi in altero inesse,
ea incensu substantiarum locum habere nequit.
Peccati originalis esse totum, est inesse. Ergo.

XV.

Hebr. 12. 1.

Epistola ad Hebræos, de hoc ipso peccato loquens
itidem, appellat id *περισσατον*, circumstans nos vn-
dique & quasi probè circumuallans peccatum. Sic
igitur nos mox ista colligere docet:

Circumstantiae rerum, non sunt ipsa substantia ea-
rundem.

Peccatum originis circumstat hominem. Ergo
non est ipsa eiusdem substantia.

XVI.

v. Ioan. 3. 4.

Ioannes, Peccatum absolute finiens, ἀνομίᾳ id in-
signit. Demonstrationem igitur sua finitione talem
nobis suggerit.

Nulla



Nulla *āvōpīa* est substantia.

Peccatum est *āvōpīa*. Ergo.

Maioris veritas inde patet, quia *āvōpīa* est abstractum aliquid à substantia, propter quod abstractum, substantia non *āvōpīa*: sed *āvōpīa* appellatur. Ergo propter adiacens & adhærens peccatum, *āvōpīa* peccator, & subiectum ipsum in concreto *āvōpīa*, non *āvōpīa* dicitur, neque *āvōpīa* de concreto prædicari abstractum istud vñquam potest.

XVII.

Quod si ad analogiam fidei, & optimæ rationis iudicium trutinam nostram in isto errore metiendo adiungamus, impietas & absurditas nihilo minor, quam in præcedenti examine falsitas ex isto errore promicabit.

XVIII.

Deum conditorem rerum creatarum omnium fides nobis credenda proponit, & verò rerum nullarum nisi bonarum, si opus ipsum creationis consideres. Engamus verū esse istum de substantia peccati errorem: sic fiet, Ut aut Deus sit peccati autor atque conditor: aut hoc negato, Creationis honor Deo afferatur, & substantiarum creator constituantur Satanæ. Tertium dari nullum poterit.

XIX.

Iam ex fide nostra indubitate constat, Non Deum à Deo: sed hominem à Deo primitus esse conditum, cum protoplastus efformatus esset. Hoc posito, concessio q̄, effectum euadit, Imaginem Dei in homine, ad quam conditus primūm fuerat, essentialē nullo modo fuisse. Si enim ea fuisset imaginis istius ratio, ut iustitia & sanctitas hominis cum essentia eiusdem, vnum quidam fuisset simplicissimè: iam non hominem: sed De-

B

um con-

um condidisset Deus , cuius iustitia & sanctitas oppo-
sito peccati habitu permutari , aut amitti in æternum
nunquam potuisset.

XX.

Hinc ratiocinari in hunc modum possumus:
Si imago Dei & originalis iustitia, essentialis in ho-
mine non fuit : contrarium peccati habitum , substan-
tia hominis finire qui voluerit , extrema ^{apposita} diuina
laborabit. Illud negari vere non potest. Stabit igitur
& alterum,

XXI.

Iam quomodo Vnigenitum Dei Filium nobis fra-
tribus suis secundum humanam naturam (excepto pec-
cato) similem esse factum confitebimur , si peccatum
& natura humana , substantiâ prorsus idem sunt? Simi-
lis igitur nobis dicetur factus Filius Dei secundum hu-
manam naturam sine peccato , hoc est , sine humana
natura.

XXII.

Iam iterum posito isto de substantia peccati erro-
re , non concessio tamen : Certè aliis substantia Ad-
amus sit oportet , qui initio conditus est , ab eo , qui in
peccatum est prolapsus. Alius itidem & es-
sentia diversus , Adam regeneratus : denique alius ite-
rum , qui ad vitam resurrecturus est , quam qui sepultus
fuerat. Vno igitur Adamo , in quatuor substantijs dis-
cretos homines , in hunc modum distracto : quid cul-
pa lapsi Adæ , ad primò conditum illum , substantia di-
uersum attinebit ? Quid regeneratio , lapsum ? Quid re-
surrectio , sepultum ?

XXIII.

Denique tollit & confundit hæresis ista omnes ve-
ras iusti-

ras Iustificationis, Remissionis peccatorum, Regenerationis, Baptismi, pœnitentiæ, promissionum Evangelicarum, comminationum legalium, adeoque prope omnis religionis nostræ Christianæ rationes. Nunquid ergo hoc agmen quoddam Libycorum monstrorum non est, quod vna ac sola fidei nostræ analogia longissimè discutit & profigat?

XXIV.

Quid verò hæretica ista opinione ἀλογώτερον, & magis vndequaq; ἀσύντονος excogitari vñquam potuit?

XXV.

Peccato originis non competit definitio substantiæ. Nunquam enim & nuspiañ est αὐγυαόσυτον. Ergo nec definitum congruit.

XXVI.

Peccatum originis, genere priuationis partim & partim morbi atque vitii finitur. Neutri parti generis, cum substantia quicquam est commune. Finitæ ergo speciei diuersam esse rationem, ratio nulla patitur.

XXVII.

Nihil est essentialiter malum aut peccatum in mundo, ne Diabolus quidem. Ratio est, Essentialia enim omnis à Deo est condita, in quem essentialis mali culpa alioquin omnis redundatura esset. Ergo neque tale esse originale malum potest.

XXVIII.

Actus nullus transit in substantiam, etiam infinitorum seculorum progressu. Peccatum quod in nobis originale est, in Adamo actuale fuit. Ergo generis sui naturam mutare nullo modo potuit.

XXIX.

Peccatum originis non est substantia, aut res per-

B. 2

se sub-



se subsistens, Hominis ergo substantia, aut pars eius
substantialis ut sit, fieri plane nequit.

XXX.

Si peccatum originis separabile est ab homine: sub-
stantia eiusdem, aut pars eius substantialis esse non po-
test. At est sane separabile: formaliter quidem per
gratiam remissionis in renatis: tandem etiam materia-
liter in resurrectione à beatis cœlitibus. Substantiale
ergo esse omnino nequit.

XXXI.

Si peccatum Primæuum substantiale est in homine
& sic cum homine ipso conuertibile: renati & beati,
aut remissione & abolitione istius peccati non potien-
tur; aut homines non fuerint. Neutrum pietas aut ve-
ritas affluerare patitur. In antecedente ergo impietas
& falsitas insit, necessum est.

XXXII.

Si peccatum est ipsa anima rationalis: labes origi-
nalis non homini toti pariter: sed alteri duntaxat eius-
dem parti incumbet. Fuerit igitur immune ab isto
contagio luis primæuæ, corpus cuiusque hominis, &
facultates animales reliquæ. Absurdum hoc. Simi-
le ergo alterum.

XXXIII.

Causa efficiens peccati partim est Diabolus, par-
tim hominis mala voluntas. Neutra causa producit
substantias. Absolum est ergo peccati substantialis
segmentum.

XXXIV.

Substantia quatenus est substantia, causa non est
actionum: sed quatenus facultatibus, viribus, habiti-
bus seu qualitatibus alijs est instructa. Qualitas enim
forma

forma est, per quam substantia est efficax. Homo, non
qua homo, peccat : sed qua originalis mali labe cor-
ruptus est. Substantiale ergo esse in homine peccatum
originale non potest.

XXXV.

Omnem malum est in bono. Iam ut bonum cum
malo, non est conuertibile : sic substantia ipsa, aut pars
alterutrius esse vtrinque neutrum potest. Peccatum
est in homine. Illud ergo neq; cum hoc conuertibile,
neque substantia aut pars substantialis eiusdem esse vi-
lo modo potest.

XXXVI.

Autoritatibus sententia nostra munitissima etiam
euadit.

XXXVII.

Symbola Ecclesiæ authentica, Deum creatorem
serum omnium tam visibilium, quam inuisibilium pro-
fitentur.

XXXVIII.

Iam quicquid concilia statuerunt, disputeruntque
orthodoxæ antiquitatis Patres & Doctores vniuersi,
Augustinus præcipue, Tomi v i. libris quadraginta du-
obus adversus Manichæos ex profeso : id in præsentis
materiæ controuersia vniuersum nobis venit in subsis-
tuum.

XXXIX.

Augustana Confessio, Peccatum originis non sub-
stantiam, sed morbum seu vitium definit : & homini- Artic. 2.
bus natis, non peccata nasci : sed homines cum pecca-
to nasci asseuerat. Et Art. 19. Deum creatorem, con-
seruatoremq; naturæ humanæ appellans, à peccato ean-
dem accuratissime distinguit.

X L.

Apologia quasuis Philosophicorum & Scholasticorum Theologorum opiniones , vim peccati extenuantes , impugnans ac refutans , nusquam substantiale esse in homine peccatum pronunciat : sed reatus & corruptionis complexu , vniuersam mali istius originalis amplitudinem comprehendi , strenue pugnat .

X L I.

Part. 3. art.
10 Articuli Smalcaldici , Peccatum istud non naturam ipsam : sed corruptionem naturæ appellant : & hæreditarij istius mali lue homines non peccatum , sed peccatores factos esse peonunciant .

X L I I.

Super Gen.
c. 4. Lutherus labem illam originalem negat esse natu-
ræ immutationem . Manet quidem , inquit , natura :
c. 12. sed multis modis corrupta . Item . Spirituales homi-
nes debent distinguere inter peccatum originales &
Super cap. 38. creaturam Dei . Et alibi . Inter morbum naturæ per pec-
catum vitiatæ , & suum opus , Spiritus Sanctus discernit .
Item peccatum & mors sunt mala separabilia . Et mox .
Secundum naturam ; eadem est Christi caro cum nostra .
Sed in conceptione eius accessit Spiritus Sanctus , ob-
umbrans & purificans illam massam , quam accepit de
virgine , ut coniungeretur cum diuina natura . In Chri-
sto sanctissima , purissima , mundissima caro est . In nobis
autem & omnibus hominibus corruptissima , nisi
quantum in Christo reparatur .

X L I I I.

Formula Concordiæ primum huic contiouersiæ
locum destinans , ex Ecclesia furorem fanaticum adver-
sæ sententiæ manifesto decreto exterminat .

Conclu-

XLIV.

Concludimus ergo, quamuis horrendæ ipsi fœditati labis istius hæreditariæ (maiori vtique, quam quæ hominum animis comprehendendi, aut verbis explicari vñquam queat) detractum ne tantillum quidem velimus: tamen eam absque grandi blasphemia diuinæ veritatis, & discrimine plerorumque adeò fidei articulorum substantiale malum in homine etiam corruptissimo, appellari nullo modo posse. Deus Opt. Max. qui omnem plantam, quam ipse non plantauit, eradicat, huius etiam fanaticæ opinionis fermentum, cuius minutæ adhuc sunt radiculæ, & dispersæ reliquiae, ex Ecclesia sua benigne & paternè expurget.

A M E N.



AB 22 841 (1)



56.

Hi.77

WCP



Farbkarte #13

